

De *Hydrophilo gansuensi* m.

Scripsit Andreas a Semenow, Petropolitanus.

Vir doctissimus L. Bedel in revisione generis *Stethoxus* Sol., quae inscribitur: „Synopsis des grands Hydrophiles (genre *Stethoxus* Sol.)“ *), de hac specie locutus, eam *Stethoxo pistaceo* Cast. proxime affinem esse praesumpsit et in divisionem suam 19**) inter ceteras species palaearticas sane recteque collocavit. Tamen ut jam pridem indicaveram ***) species mea *Stethoxo* (seu *Hydrophilo*) *aterrimo* Eschsch. affinior est, nam a *St. pistaceo* imprimis abdominalis linea media obtusa nec ullo modo cariniformi (etsi tectiformiter elata), statura minore et praesertim multo angustiore neq; non habitu debiliore aliisque aliquot characteribus valde discrepat et his omnibus signis *St. aterrimo* proxime accedit.

Cum differentiam inter *St. aterrimum* speciemque meam jam pridem l. c. indicaverim, hic est notanda solummodo pubescencia segmentorum abdominalium, de quo charactere hucusque nullam feceram mentionem.

Stethoxus (seu *Hydrophilus*) *gansuensis* m. habet latera segmentorum abdominalium 2—5 haud nimis anguste et fere limbatim pubescencia; qui tamen limbus in singulis segmentis longe ab eorum marginibus posterioribus interruptus est, nam pubescencia cujusvis segmenti (praeter segmentum primum, quod totum pubescit) ad instar trianguli elongati, retrorsum angustati marginemque posticum segmenti haud attingentis disposita est. Qui character speciem nostram ab omnibus congeneribus palaearticis (i. e. a *St. aterrimo* Eschsch., *pistaceo* Cast., *viridicollis* Redt. et *piceo* L.) secernit et speciebus nonnullis exoticis, quae abdominalis lateribus maculatum pubescentibus gaudent, applicat.

Spina apicalis carinae sternalis in *St. gansuensi* sat brevis est, dimidium segmenti abdominalis secundi vix attingens; elytra posterius inter series ordinarias manifeste geminato-striata.

*) Bedel, Revue d'Entom. X, 1891 (1892), pag. 318.

**) Bedel, l. c. pag. 312.

***) A. Semenow, Horae Soc. Ent. Ross. XXIV, 1889, pag. 194.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1892

Band/Volume: [11](#)

Autor(en)/Author(s): Semenov Andreas v.

Artikel/Article: [De Hydrophilo gansuensi m. 163](#)